

quatur ipsi, ita est metaphysice vera in quantum res ipsa adaequatur intellectui.

BONUM. Id quod omnia appetunt, seu quod est appetibile. Appetitur aliquid quia *convenit* appetenti. Convenit autem quod *perficit* aliquo modo appetentem. Ratio ergo boni ultimo resolvitur in rationem perfectionis. Bonum est *verum* aut *falsum*, et iterum *utile*, *honestum* vel *delectabile*.

Bonum utile. Quod appetitur ut medium ad finem aliquem consequendum.

Bonum honestum. Quod ut consentaneum voluntati per rationem ordinatae et propter se appetitur.

Bonum delectabile. Bonum per sui fruitionem quietans appetitum.

MALUM. Quod per se non est appetibile, quod appetenti non convenit, quod rationem perfectionis negat, Malum est *physicum* aut *morale*.

Malum physicum. Privatio entitatis debita, ut homini carere oculo, vel vita privari.

Malum morale. Privatio ordinis ad praescriptas regulas morum, ut occidere innocentem, furari, &c.

PULCHREUM. Id cuius apprehensio placet.—Splendor ordinis.—“Ratio pulchri, in universali, ait S. Thomas, consistit in resplendentia formae super partes materiae proportionatas, vel super diversas vires, vel actiones.”

Et iterum S. Thomas: “Ad pulchritudinem tria requiruntur. Primo quidem integritas sive perfectio; quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt. Et debita proportio sive consonantia. Et iterum